

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

Bona, Giovanni

Parisiis, 1678

§. 4. De matutinis salutationibus. Prima quando fuerit instituta, & qua hora
persolvi debeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9929

omnes peccatores terræ : quia, ut ait (*f*) Hieronymus, orto nobis Sole justitiae omnes statim cogitationes interficiimus, quæ ad peccata nos provocant, & de civitate mentis nostræ disperdimus peccatores. Sic (*g*) Sapientis admonitionem libenter audimus & efficaciter adimplamus ad ortum lucis adorantes Dominum, ne internæ dulcedinis manna exiguo solis radio calefactum tabescat. Sicut autem ovibus manè ad pascua exeuntibus necessarius est pastor, qui eas à lupis defendat ; ita etiam nos, ut docet (*h*) Amalarius, initio diei ad opera, & mandata Domini surgentes pastoris boni custodia indigemus, qui lupos abigat irruentes, de quibus legimus, & lupus rapit, & dispergit oves. Cæterum (*i*) hora ista sancta est, qua Dominus noster illusus, consputus, & alapis cæsus Pilato propter nos ligatus astitit, ad omnem contumeliam, & adversitatem patienter sustinendam suo exemplo nos erudiens. Hac item hora post gloriosam resurrectionem in (*k*) magna piscium captura, qui cum tanti essent non est scissum rete, Ecclesiæ Catholicæ propagationem præfiguravit, & veram carnis resurrectionem in piscis assi comeditione evidenter ostendit. Sant qui scripserint horam Primam celebrari in memoriam Dominicæ Resurrectionis : at omnium rectè sentientium fides est Christum ante solis exortum surrexisse.

§. IV.

De matutinis salutationibus. Prima quando fuerit instituta, & qua hora persolvi debeat.

I. **M**agnus (*a*) Leo, quem (*b*) Abbas Spanhemensis Ecclesiasticeæ dictionis Tullium appell-

f Hieron. lib. 2. in Isaïam. *g* Sap. 16. 28. *h* Amalar. lib. 4. de div. offic. cap. 2. *i* Joan. 10. 12. Matth. 27. 1. *k* Joan. 21. *a* Leo ser. 7. de Nat. *b* Trithemius de Script. Eccles.

lat, elegantissima oratione Christianos redarguit, qui manè ad nascentem solem deflexi curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinabant: quod paganitatis quodam spiritu factum dolet sanctus Pontifex. Gentiles enim præterquam quod ipsum solem adorabant, ut jam ostensum est, credebant quoque matutinas salutationes Diis esse gratissimas, quare primam diei horam certis ritibus iisdem nunciabant. Didici hunc morem à Philosopho (c) Medaurensi, qui in fabula Milesia hæc habet. Inchoatæ lucis salutationibus Religiosi primam nunciantes horam perstrepunt. (d) Tacitus quoque ait. Orientem solem, ut in Syria mos est, Tertiani salutavere, ex nostris autem (e) Arnobius rem indicavit his verbis. Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis adhibam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant. In hunc etiam ritum invehitur Romanus (f) sapiens. Vetemus salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum. Erat autem salutationis matutinæ propria illa vox Ave, juxta illud Martialis, (g)

Et matutinum portat ineptus Ave:

*Etalibi. Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,
Cui non manè feras irquietus Ave.*

Non enim erga Deos dumtaxat, sed etiam erga homines hujusmodi salutationibus utebantur. Quo verò ritu Deos salutaverint, Barnabas (h) Brissonius in doctrinissimo libro Formularum luculenter ostendit. Hæc est gentium consuetudo, quam Leonis reprehensio suggestat. Ne quis fortè parum linceæ mentis primæ horæ officium, aut orationis ad orientem mysteria tanti viri auctoritate sustollere conetur; satis clarè se explicat S. Doctor, dum ait: Expergiscere ò homo, utere creaturis quomodo utendum est, & quicquid in eis pul-

c Apuleius lib. 11. d Tacit. l. 3. hist. e Arnobius 7. contragentes. f Senec. ep. g lib. 1. ep. 56. Id. lib. 4. ep. 79. Brisson. de form. lib. 1.)

DIVINÆ PSALMODIÆ. CAP. VI. 189
chrum, atque mirabile est, refer ad laudem, & glo-
riam conditoris. Utinam corda nostra veri luminis ju-
bar illustret. Lux pietatis veri splendor orientis est.
Quantum distat à splendore solis soli hujus caligo!
Orandum igitur, ut mundi hujus tenebras claritatis
sux radiis expellat Deus.

M E T R U M XII.

MAgne Rex terræ, nitidique cœli,
Christe, qui nutu moderaris orbem.
Mentis arcanum jubar, & paternæ
Lucis imago.
O sacrum cœli decus, & coruscî
Luminis candor sine nube fulgens.
Huc ades, pura tibi dum sacramus
Carmina voto.
Serviunt cursu tibi concitato
Nox, dies, annus, properique menses.
Teque circumstant glomerata blandie
Astra choreis.
Huc nitens cæcis male pulsa terris
Lux ades nulla temerata nocte,
Mysticum lumen, niveosque nobis
Annue mores.
Pax, fides tecum, pietas, & omnis
Audeat virtus remeare ab alto.
Pectus illustra, refluatque summi
Flumen amoris.
Erudi terras meliore flamma,
Et per ignotas tibi fundat oras.
Prodigus laudes populus sacratam
Pronus ad aram.
Annuos cultus, patriosque ritus
Latus antiqua renovare pompa
Indus, & Maurus, gelidiisque discas
Incola Ponti.

III. Porro quod spectat ad officium Primæ, nulla ejus expressa mentio apud Patres Cassiano antiquiores reperitur, quicquid dicant Franciscus (*i*) Turrianus vir alio, quin eruditissimus iu notis ad Clementem Romanum, & (*k*) Marianus Victorius vir etiam emunctæ naris in scholiis ad Epistolas Divi Hieronymi. Istæ enim, & alii Patres cum manè orandum esse dicunt, non de Prima, sed de Laudibus matutinis intelligi debent, quod disertè demonstrat exactissimus Scriptor (*l*) Marcellus Francolinus. Tametsi autem Franciscus (*m*) Suarez de hujus assertoriis veritate dubitare videatur, certum est tamen quod (*n*) Cassianus afferit testis omni exceptione major, Primam scilicet suo tempore in suo Bethlemitico Monasterio celebrari cœpisse, ne Monachi post Laudes usque ad Tertiam otiosi, & somnolenti jacent in cellis, cum nulla conventus necessitas eos ad orationem exire compelleret. Vocat eam alteram matutinam, quam à matutinis laudibus ex eo distinguit, quod hanc tribus Psalmis absolvit dicit: ad laudes vero decantari ait psalmum *Laudate Dominum de cælis* cum duobus sequentibus. Porro quinquagesimum, inquit, & sexagesimum secundum, & octogesimum nonum huic novellæ solemnitati novimus fuisse deputatos. Nec est quod scrupulum aliqui moveat Augustinus, qui initio secundæ regulæ expressam Primæ mentionem facit: nam præter alias conjecturas satis evidentes quas censores operum Augustini notarunt, vel ex hoc liquet falsè ei attributam hanc Regulam, quam idè Lovanienses Theologi inter Pseudepigrapha relegarunt. Similiter hymnus Primæ, qui criticorum animum vellicare poterit, vel non est Ambrosii, vel ab eo compositus, ut privatim diceatur, postea publico Primæ officio aptatus fuit. Hæc de Latinis Patribus dicta sunt, nam si ad Græcorum cal-

i Turrian. ad c. 34. lib. 8. constit. apostolic. *k* Mar. Vict. ad ep. 7.
Hier. ad Iatam. *l* Francolin. cap. 14. *m* Suarez de relig. l. 4. cap. 5. *n* Cabian. lib. 3. de instit. cœnob. c. 3, 4. & 6.

culos res ista revocetur, sunt quide Prima Chrysostomum, & Athanasium loquutos afferant. Hic enim libro de virginitate, Sol, inquit, exoriens videat librum in manu tua. Ille autem in fine libri primi de orando Deum, Dic mihi, ait, qua fronte solem intueberis, nisi prius adoraveris, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Sed hæc testimonia de privata oratione intelligi possunt: Primæ autem officium, cui sati superque est mille & amplius annorum vetustas, statim post ortum solis persolvi debet. Patet id manifestè tum ex Cassiano, tum ex Amalario, & Hugone, tum etiam quia à prima hora diei, à prima scilicet hora post ortum solis denominatur. Cum enī diem artificialem pro celebrandis horis Canonicas in quatuor partes divisissent Antiqui, solebant in fine singularum partium singulas Canonicas preces singulis trihoris persolvere. Sed cum postea Primam, & Completorium pro initio, & fine diei adinvenissent, jam ex prima diei parte, quæ primam, secundam, & tertiam horam continebat, & officio Tertiæ assignabatur primam horam pro officio Primæ separarunt: duodecimam pro Completorio, ut supra capite tertio explicatum est.

(o) Drogo Abbas in ipso solis exortu celebrandam esse Primam existimat: sic enim scribit. Horæ primæ laudatio à sanctis Patribus ex oriente sole constituta est celebrari: quæ si aliquando tardius, vel celerius negotiis exigentibus celebretur, nobis horæ debitæ officium congruo tempore persolventibus, hujus similiter & cæterarum statutus terminus penes eum, cui cuncta sunt præsentia, relinquatur.

• Drogo Abb. tract. de horis canonicis.